

## **Dissertatio Inauguralis Medica, De Medicamentis Saponaceis**

Buetzovii: Typis Joann. Gotth. Fritzii, MDCCCLXXI.

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn885682602>

Druck    Freier  Zugang



Universität Bützow  
Med. Fak. 1771  
Detharding/Gronow

Bützow 020







DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

# MEDICAMENTIS SAPONACEIS,

QVAM  
AUSPICE DEO PROPITIO,

ET

CONSENSU ATQUE AUTHORITATE GRATIOSÆ  
FACULTATIS MEDICÆ

IN ACADEMIA FRIDERICIANA BUETZOVIENSI,  
PRÆSIDE

DN. GEORG. CHRISTOPH.  
DETHARDINGIO

FACULT. MED. SENIORE ET DECANO, UT ET SEREN. DUC. REGN.  
MEGAPOL. CONSILIARIO AULICO,

PRO GRADU DOCTORIS  
SUMMISQVE IN MEDICINA HONORIBUS  
ET PRIVILEGIIS

LEGITIME IMPETRANDIS  
ANNO MDCCXXI. DIE FEBR.

PUBLICÆ VENTILATIONI SUBIICIT

R E S P O N D E N S

FRIDERICUS WILHELMUS GRONOW  
SVERINENSIS.

---

B U E T Z O V I I

TYPIS JOANN. GOTTH. FRITZII, SEREN. DUC. AVL.  
ET ACADEM. TYPOGR. CICIOCCCLXXI.



VENERABILI SENI  
VIRO  
EXPERIENTISSIMO ET DOCTISSIMO  
DOMINO  
ERNESTO WILHELMO  
SCHAUMKELL  
MEDICINÆ DOCTORI, ET PRACTICO SVERINENSI  
PER XL ANNOS FELICISSIMO ET  
CELEBERRIMO  
UT ET  
CIRCULI PHYSICO MEGAPOLENSI  
MERITISSIMO  
AVUNCULO SUO SINGULARI  
AMORIS HONORISQUE CULTU

PROSEQVENDO

VIRIDE SENIUM

ET

QVICQVID PRÆTEREA EST, QVOD VOTIS

PETI DEBEAT

PERPETUUM INCREMENTUM TOTO ANIMO

P R E C A T U R

ATQVE

DISSERTATIONEM HANC INAUGURALEM

IN PUBLICUM ANIMI GRATISSIMI

DOCUMENTUM

EO

QVO DECET, PIETATIS STUDIO

OFFERT

R E S P O N D E N S

FRIDERICUS WILHELMUS GRONOW.



## PROOEMIUM.



Inter Problemata Medica jure me-  
ritoqve referenda Qvæstio: an  
simplicia Medicamenta com-  
positis præferenda? Si qvando  
scripta veterum Medicorum pervolvimus, tan-  
tum non semper edocemur, Medicinam penes  
eosdem fuisse Scientiam paucarum herbarum,  
qvas simplici ratione præparatas ægrotis cum  
euphoria obtulerunt. Crescente autem suc-  
cessive Medicorum numero, crevit studium

A 3

nova

nova inveniendi remedia, eademque pro mo-  
dulo præconceptæ opinionis & luxuriantis in-  
genii diversimode combinandi, ita, ut nostris  
temporibus omnem fere exsuperent nume-  
rum, qvibus tot libri practici, & Dispensato-  
ria abundant. Hæc farrago medicamentorum  
& exinde subortæ formulæ plusquam sesqui-  
pedales, tantum abest, ut augmento & certi-  
tudini praxeos clinicæ multum ponderis addi-  
derint, ut potius credulos atque minus exerci-  
tatos Medicos, cum damno subinde irreparabi-  
li ægrotorum, in devia seduxerint. Singulare  
sane est argumentum PAULLINI, ex similitu-  
dine ductum, qvi in Tractatu de *Theriaca cæle-  
sti Sect. I. C. IV. §. 36.* ad objectionem: inesse  
huic Theriacæ tantam Medicamentorum far-  
raginem, respondit: „Omnia talia ingredien-  
„tia, prævia præparatione, mistione, atque im-  
„primis fermentatione, tam apta elegantique  
„concinnitate disponi, ut veluti varii toni, sva-  
„vesque claves musicæ in magno organo mu-  
„sico

„sico (Wann manne einige Register zusammen ziehet) flexanimam harmoniam effiant, ita & „varia illa, atque simplicia medicamenta amice in unum conspirare.,, Fortassis Vir hic olim celeberrimus, verius magis, quam magnificentius fuisset locutus, si partes medicamentorum constitutivas, convenienti analysi, rite explorasset, & detegere potuisset. Alienum ab instituto praesenti, per inductionem plurium exemplorum hujus commatis demonstrare, potissimam horum partem ex sterilibus, æqvipollentibus, imo diversissimis & natura sua inter se pugnantibus ingredientibus concinnatam esse.

Hoc saltem monuisse sufficiat, haud rejecienda quidem esse omnes remediorum in una formula combinationes, quæ nomine constituentium, corrigentium & adjuvantium sic dictæ basi additorum venire solent, modo superflua evitentur. A remediiis namque tali ratione præparatis scopum desideratum majori certi-

certitudine obtinebit Medicus, & qvod fieri potest per pauca, pluribus indigere haud censeo.

Disputationem Inauguralem conscripturus incidi in haec cogitata, & ex variis objectis  
huc referendis *Saponem* elegi, tanquam remedium, simplici methodo, ex paucis quidem  
partibus conflatum, nihilo tamen secius, respectu efficaciam eminentis, & usus multiplicis  
inter selecta jure referendum. Jam anno 1746.  
Cel. D. SCHULTZE in Disputatione erudita  
Halae habita de *Saponis usu medico* occupatus  
fuit in proferendis haud paucis momentis, genesin ejus & virtutes medicas concernentibus,  
Spicilegium tamen reliquit successoribus haud  
adeo exiguum, qvod jam congregare mecum  
constitui. Faxit Deus, ut hic labor sit fructu-  
osus, & in rei medicam incrementum conver-  
tatur!



TRA-



## TRACTATIO.



### §. I.

Saponis nomine venire massam plus minus solidam, ex substantia pingvi, sebacea vel oleosa constantem, cum Sale alcalino, & nonnunquam calce viva, certa encheiresi, combinatam, descriptione vix indigebit, quando concreti hujus omnibus notissimi, & a tot retro seculis, variis usibus destinati historiam & natales, rerum oeconomicarum Scriptores, & in primis Medici, quos inter SCHULTZIUM in proemio nominatum, & NEUMANNUM in Praelectionibus chemicis allegasse sufficiat, scriptis consignarunt, atque quibus

B

modum

modum conficiendi saponem a saponariis, qvinimo  
passim a matribus familias nostratis ediscere po-  
terit.

### §. II.

Hoc saltem præmonuisse e re esse duco, qvando  
in usus medicos adhibenda saponacea, delectum hæc  
inter esse necessarium, ne loco sperati emolumenti, da-  
mna suscitentur haud levidensia, qvæ cautela hodie  
magis, qvam olim fuit necessaria, qvandoqvidem Ve-  
teres Medici saponem in usus saltem externos recepe-  
runt, donec SYLVIUS a vulgo edocetus, & post illum  
WILLISIUS, ROBERTUS BOYLE, aliiqve usum ejus  
internum itidem introduxerint.

### §. III.

Ex omnibus proinde Saponis speciebus eligendus  
*Sapo Venetus & Hispanicus*, in urbe Alone præparatus,  
ex puritate admixti olei olivarum ceteris præstans,  
sunt, qvi Hispanico prærogativam tribuunt, qvi tamen  
in nostris officinis raro deprehenditur. Pariter credi-  
derim, Saponem, ad imitationem Veneti, ex oleo oliva-  
rum

rum cum Sale alcalino & calce viva concinnatum, prout docuit NEUMANNUS l. c. p. m. 1015. Saponi Veneto genuino parem haud esse, qvoniā oleum olivarum in nostris oris nonnunquam vetustate corrūptum, vel saltem haud adeo recens deprehenditur, qvæ & causa, cur ægroti a suppositio hoc Sapone Veneto de appetitu depravato, ructibus anotericis, nausea & diarrhæis fuerint conquesti. Tuto magis cum effectu commendandus Sapo extemporaneus ex oleo amygdalarum dulcium recenti, & Sale alcalino præparatus, utpote qvi virtutem paregoricam & demulcentem specialem in nonnullis morbis conspicuam exserit.

## §. IV.

Commemorandæ adhuc veniunt binæ Saponis species non adeo in usus medicos, qvam domesticos, imprimis ad eluenda lintermina receptæ, consistentiæ mollioris & magis ungvinosæ, Sapo scilicet *viridis* & *niger*, nonnullis *melanosmeuma* dictus. Hi in eo conveniunt, qvod ex oleosa substantia & Sale alcalino fixo constent, atqve scopo dicto purgativo promiscue inferviant. Discriben, qvos eos intercedit, in eo est re-

B 2

posi-

positum, qvod sub præparatione Saponis nigri utplurimum lixivium ex cineribus qvernis & oleo lini adhibeatur. Qvando autem Lixivio ex cineribus clavelatis præparato, & loco olei lini, oleum cannabinum debita encheiresi additur, color saponis exsurgit viridescens, qvi adhuc magis exaltatur, si lixivium ex cinere infectorio (*Weidasche dicto*) constet. NEUMANNUS qvidem l.c. p. 1012. refert, Saponem hunc admixtione Succi betarum obtinere colorem viridescentem, qvod tingendi artificium Saponarii hac de re consulti plane ignorant. Medici ab his saponis speciebus utplurimum abstinent; vulgus e contra & medicastram interne, qvam externe easdem adhibere solent ad lac in mammis dissipandum & abigendum, partibus ambustis & pernionibus medendum, pediculos ingvinales necandos &c. imo eo usqve procedit horum audacia, ut ad cochlear unum & plures in cerevisia generosa propinando, menses, qvinimo, nefando consilio, fœtum pellere allaborent.

## §. V.

Ex recensitis his Saponis partibus constitutis,  
harun-

\* \* \*

harundemque mutua connexione, non adeo difficile erit determinare, multifarium eidem esse effectum; imprimis a resolutione viscidiorum corporis humani partium derivandam, ita ut BOERHAVIUS in *Element. Chym. Tom. II. P. I. Process. 73. p. m. 225.* haud absque ratione Saponem dixerit esse *aperiens, attenuans, resolvens universale in corpore humano* - - - *Si vacuis visceribus, bene dilutum, motuque corporis adjutum, copia satis magna, sed divisa potatur.* Curiosum sane est experimentum: Si quando Sapo debita quantitate in aqua dilutus & fuligine, vulgo *Kien-Russ* tinctus, mediante Siphone anatomico e.g. arteriæ axillari injicitur, cutis brachii non tantum atro colore penitus tingitur, verum & musculi ejus colorem rubicundum in brunneum & spadiceum mutare solent, luculentissimo testimonio, saponem hunc per subtilissima vasa cutis capillaria & angustissimos musculorum mæandros penetrasse. Si ergo in cadavere frigido, omni motu humorum orbato tale quid contingit, quidni idem effectus in corpore vivo, mediante sanguinis & humorum circulatione foret expectandus? Recludit enim Sapo, ut verbis laudati SCHULTZII utar, pingvium cum aqveis non facile conciliabilem texturam, atque se, qua parte ipsem

B 3

pin-

pingvis est, cum similibus & homogeneis facile conjungit, qvatenus autem salem alcalinum, aqveorum commercio idoneum, secum afferit, simul efficit, ut aqva eodem pertingat, qvo Sal illud cum pingvi junctum intravit.

## §. VI.

Hisce prælibatis, de Energia saponis speciali, qvam convenienti ratione usurpatus in corpore humano exserit, notabiliora licebit in medium proferre momenta. Stet in acie *Cachexia icterica* ex infarctu & obstructione ductuum hepaticorum & vesiculæ felleæ billem ad intestinum duodenum devehentium ortum trahens, cujus theoriam, tanqvm satis notam, & in libris practicis abunde descriptam, brevitatis ergo, prætermitto. Ad reseruos hosce canales, & visciditatem humorum, elaborationem & secretionem bilis sufflaminantium resolvendam, Saponem ceteris deoppilativis & abstergentibus svetis palmam fere præcipere experientia docuit. Iam laudatus SYLVIUS *Prax. Med. L. I. C. 45.* §. 75. refert, se sapone ad drachmam circiter unam in calente lacte dissoluto, & tantillo Sacchari edulcora-

corato, bis aut semel saltem de die usurpato feliciter ic-  
terum curasse. Methodus hæc ratione circumstantia-  
rum mutari poterit, ut loco lactis, apozemata, indole  
specifica resolutioni humorum inservientia sumantur,  
herbarum itidem lactiferarum succus recenter expressus  
cum Sapone commixtus adhuc magis promptum effe-  
ctum exserit. Si ægri delicatuli hanc medicamenti for-  
mam sumere recusaverint, Sapo in liqvore terræ folia-  
tæ Tartari solutus guttatum propinari, vel in pillulas  
redactus, & cum Gummi Ammoniaco tanquam adju-  
vante commixtus exhiberi poterit. Vel me tacente  
constabit, corpus icterici, ante usum saponis, si neces-  
fitas id efflagitaverit, debita methodo præparandum  
esse.

### §. VII.

Fortassis dubio carebit, Saponem in resolvendis  
calculis bilariis, vel in vesicula fellea delitescentibus, vel  
ductui cystico aut cholidocho firmiter impactis, præsta-  
bilem exserere posse effectum, qvatenus Saponem inter  
& bilem, respectu virtutis pingvia cum aqvosis com-  
binandi, magna intercedit convenientia. Interim hoc  
experienciæ ulteriori lubens committo.

### §. VIII.

## §. VIII.

Majori certitudine Saponi vim abstergentem, & certo respectu *Lithontripticam* dicendam, tribuere licet, qvæ ab ejus usu convenienti, sub præsentia calculorum renalium observatur, qvæq; plurimis sic dictis lithontripticis antecellit. Horum siq; videm potior pars, sola diuresi adaucta, calculos saltem pellere solet, a qva exclusione nonnunq; præcipiti, pro modulo magnitudinis calculorum, ingentia & periculo stipata symptoma metuenda. Tantum enim abest, ut ab istius modo remediis genesis novorum calculorum inhibeat, ut potius alii, loco priorum adnascentes & avulsi cum successiva parenchymatis renalis consumptione ægrotos excrucient. Relatum mihi a Dn. Præside de femina qvadam, qvæ per triennium ab usu arcani cuiusdam lithontriptici ingentem successive calculorum numerum variæ magnitudinis excreverat, nihilo tamen secius sub sectione post mortem instituta, in rene sinistro flaccido, qvæsi erofo & arenulis obferto, deprehensus calculus inæq; valis figuræ, coloris albicantis, duritie calculos renales superans, ratione ponderis propemodum addrachmas tres accedens, qvem vis medicamenti lithon-

\* \* \*

lithontriptici emollire & disterere haud poterat. Alienum a scopo præsenti foret, Historiam medico-clinicalam calculorum renalium, & medendi methodum adumbrare velle, hoc saltem adduxisse sufficiat, limosam & terream calculorum horum materiam, crassum & fixum oleum aliquod in se continentem, accedente sale urinæ spissescientem, & duritiem pedetentim majorem adeptam (vid. *Ephem. A. N. C. Tom. I. Observ. 104. Schol. p. 249.*) ab usu Saponis resolvi, abstergi, eoqve ipso minimum præcaveri posse, ne tantum incrementum capiat, & ægrotum horrendis subinde excruciet molestiis. Inter Saponis species hunc in finem præferendum censeo ex oleo Amygdalarum dulcium recenti paratum, utpote qvi, teste experientia, demulcentem, & sedativum magis exserere solet effectum, transitui calculorum per ureteres faciliori velificantem, cui Decoctum contra calculum Foresti suppetias ferre potest.

### §. IX.

An parili cum euphoria Sapo ad resolvendum *Calculum vesicæ* adhiberi possit, qvæstio videtur nondum decisa. Olim non adeo, qvam hodie, de hoc reme-  
C dio



dio tanquam lithontriptico cogitatum, ex quo scilicet tempore Parlamentum Magnæ Britanniæ quinquaginta & quinque florenorum millibus a Johanna STEPHENS medicamentum contra calculum, cuius basis imprimitis Sapo Venetus dicendus, redemit, & publici juris fecit. Descriptionem ejus absolutam, alios Authores inter, suppeditavit D. SCHULTZE in Disputatione *de Lithontriptico nuper in Britannia publici juris facta*, Halæ 1739. habit. sub juncto examine omnium partium hujus medicamenti constitutivarum. Fama abhinc hujus novi remedii, uti plerumque contingere solet, per totam propemodum Europam divulgata, non defuerunt Medici, periculum cum illo in calculosis facientes, verum non ubique desiderato cum successu. Nonnulli ægrotorum absqve fonticis molestiis perferre continuatum ejus usum haud potuerunt, ab eo desistere coacti: alii levamentum quidem, sed non constans exinde experti, tandem cum prioribus, lithotomiæ se subjecerunt; quidam tolerabiliora symptomata obtinuere; pauci ad obitum usque a cruciatibus calculosis immunes vixerunt; in nullis autem plena calculi resolutio fuit observata, quem, sectione post mortem instituta, in vesica adhuc

adhuc delituisse, deprehenderunt Medici. Confer. *Anton. de HAEN Rat, Medendi Part. V. C. V. §. 5. & 6. Commerc. Lit. Norimb. Ann. 1740. Hebd. XXI. p. 325. it. Ann. 1743. Hebd. XXX. p. 243. & Hebd. XXXII. p. 253. Comment. de Rebus in Scient. natur. & Medicin. gestis Vol. VII. P. I. p. 222. & Volum. IX. P. IV. p. 682. D. BOSELS neue Medicinische Bibliothek Vol. III. P. II. p. 346. MORANDUS in Act. Acad. Reg. Scient. Parisiens. 1741. Dissert. 2. VANDERMONDE Recueill. Periodique d'Observations de Medecine &c. Mens. Maj. p. 363. aliquve plures.*

## §. X.

Qvando absqve præconcepta opinione, singula  
hoc novum medicamentum lithontripticum, & me-  
thodum illud adhibendi concernentia momenta rite  
considerantur, non adeo difficile erit, efficaciam ejus  
adeo differentem determinare. Salutaris foret istius  
usus, qvando alcalinæ & lixiviosæ partes oleosis jun-  
ctæ, calculi substantiæ mucoso terrestri se insinuando,  
eandem dissolvere, abradere, & qvasi divellere valent,  
ita ut sub forma muci fabulosi, vel lamellarum non-  
nunquam cum urina excludatur, qvale phoenomenon

C 2

autem

autem sub præsentia calculi vesicæ mollis, friabilis, porosi & fabulosi observandum, de qvo BARBETTE in *Chirurgia P. I. C. 76.* narrat, se tam mollem sapius invenisse calculum, ut etiam vel solo cathetere in collo vesicæ conterere potuerit. Confer. itidem Disputatio Inaugural. Dn. D. SCHAUMKELL, Avunculi mei omni observantia colendi de *Calculo Vesicæ friabili*, sub moderamine B. DETHARDINGII, Patris Dn. Præsidis, Rostoch. 1729. habit. His tamen non obstantibus, raro tota calculi vesicæ campages resoluta excluditur, nisi plane ex arenulis laxe cohærentibus constiterit, qvin non tantum restet, ut ita dicam, nucleus ejusdem, sed & ille a sedimento urinæ se continuo apponente novum iterum obtineat incrementum, qvale qvid observamus sub calculis renalibus in vesicam delapsis, & per urethram non exclusis, utpote qvi sub mora in vesica, ex continua appositione muci urinosi tartarei, in calculos vesicæ subinde mutantur eximiæ magnitudinis, in quorum meditullio, provide fracta ejus substantia, adparabit calculus renalis primigenius. Qvod calculum vesicæ glabrum, & duritatem siliceam adeptum concernit, talem, me qvidem judice, nunquam resolvet medicamentum hoc lithontripticum, ut tandem, ob continu-

os

os intolerabiles dolores, ad exsēctionem ejus, tanquam ad sacram anchoram fuerit configiendum, nisi forte thermæ Carolinæ, tanquam pro hoc scopo multo præstantiores, miserandum ægrotum ab hoc hoste liberare possint. Verum non cuivis concessum adire hanc Corinthum.

## §. XI.

Ad *resolvendum sanguinem congrumatum* in intēraneis corporis hærentem, a causâ qvadā externa vio-lenta imprimis ortum, varia qvidem in usum vocantur remedia v.g. Butyrum rubrum vel viride potabile, sper-ma Ceti, Sangvis hirci, oculi cancrorum &c. omnia tamen hæc virtute superat Arnica vera sub forma de-cocti vel infusi adhibenda, hoc incommodi autem se-cum vehens, qvod ægroti ab ejus potu, ut plurimum acerbissimos sentiant cruciatus, in ejulatus abripiantur, & veluti insani nonnunquam ungvibus suis parietes vel stragula rodant & concutiant. Felicem qvidem hoc symptoma eventum indicat, qvandoqvidem exin-de colligendum, a motu tonico in parte læsa adeo sen-sibili adaucto, sanguinem resolutum in vasa reprimi;

C 3

præ-

præcaveri tamen dolores hi immanes, vel demulceri ab admixto Sapone possunt, qvinimo resolutio & dissipatio congrumati sangvius citius cum euphoria exspectanda, siqvidem ex experientia constat, solum saponem sub forma fluida propinatum huic scopo satisfare non raro posse.

## §. XII.

Vix opus esse reor, commemorare, in *Atrophia infantum* ex infarctu glandularum mesenterii oriunda Saponem tam interne, qvam externe usurpatum admodum esse conducibilem, cuius effectus ratio ex allatis jam satis liqvet, hoc saltem ex experientia addendum, citiorem adhuc ab hoc saponis usū effectum esse exspectandum, qvando interpolatis vicibus, infuso foliorum hederæ arboreæ maritatur. Ex hoc fundamento in *Epilepsia infantum*, qvam hi ex addephagia sibi per consensum conciverunt, pro scopo mucum viscidum & tenacem in primis viis hærentem resolvendi, Sapo in liqvore terræ foliatæ Tartari solutus præstabile pollicetur auxilium, subjunctis postmodum evacuantibus necessariis. Qvod *Epilepsia hypochondriaca*, præmissis præmit-

mittendis, a continuato usu Saponis Hispanici in lacte  
vaccino soluti, brevi temporis spatio plane siluerit, re-  
ferunt *Ephem. A. N. C. Ann. I. Observ. 85. p. 203.*

### §. XIII.

Ad referanda *catamenia* a plebe nonnunquam,  
licet intempestive satis, Saponem viridem adhiberi, jam  
§. IV. indigitatum. Qvod si autem prius ponderatis  
indicantibus & contra indicantibus, in usum trahitur  
Sapo Venetus, vel Alicantinus, certe inter sic dicta Em-  
menagoga, privative magis talia haud ultimum occu-  
pat locum, qvatenus causas mensium fluxum sufflami-  
nantes, in visciditate humorum repositas auffert, eoqve  
ipso liberiorem horundem motum per vasa sanguifera  
promovet, & ostiola uteri pro transitu sanguinis recludit.  
Laudantur hunc in finem pillulæ sic dictæ balsamicæ  
vel polychrestæ, effectus tamen harundem magis ex-  
ploratus dicendus, qvando duplæ quantitati Saponis  
maritantur. Ex hac ratione non empiricus plane di-  
cendus Saponis usus in *partu difficulti*, modo situs foetus,  
vel aliæ causæ insuperabiles non obstiterint. Præstabit  
autem ob celeriorem effectum, eundem sub forma flu-  
da

da, exempli gratia in aqua pulegii solutum propinare, quale exemplum legi poterit in *Epbem. A. N. C. Volum. I. Observ. LXIX.*

§. XIV.

Subsistit in recensione plurium virium ab usu Saponis interno detegendarum, v.g. in Scrophulis, obesitate nimia, podagra, infarctu lienis, ischuria renali, & sic porro, & propero ad sic dicta contraindicantia. Quantum enim emolumentum ægroti a provido usu saponis experiantur, tantas noxas post se trahere potest ejus usus intempestivus. Abstinendum proinde ab eo censeo in morbis malignis ex corruptione humorum & sanguinis putrida ortum trahentibus. Hæc corruptio etenim in resolutione humorum reposita est, quam necessario augeret indoles saponis alcalina. Ex hoc fundamento phthisici, vel aliis exulcerationibus viscerum laborantes damnum evidentissimum exinde persentiscent, imprimis si jam febris lenta vel hectica se sociaverint. Qvod in hæmoptysi & vomitu cruento saponacea non conducant, ex irritatione majori abhinc metuenda concludendum, quæ profusiones sanguinis facile

tile augeri possent. Ob hanc irritationem & colliquationem sanguinis non magis tutus foret horum usus sub mictu cruento, mensibus & haemorrhoidibus nimiis, & haud imitandum censeo exemplum in allegata Disput. D. SCHULTZII de *Saponis usu medico* §. 26. p. 22. allegatum de cicurato mictu cruento ab usu cantharidum orto, licet Cel. Author crediderit, effectum hunc non solum ab obtusis spiculis caustici cantharidum salis esse deducendum, verum etiam a virtute generali anodina & antispasmodica. Author quoque haud forem, ut sub haemorrhoidibus mucosis, & fluore albo mulierum sapo adhibeatur. In debilitate ventriculi, anorexia & cruditate nidorosa, saponis oleosa substantia tonum ventriculi & primarum viarum magis labe-factaret, quæ & ratio, cur calculo vesicæ laborantes a continuato usu recensiti medicamenti lithontriptici Anglicani, haud raro male se habuerint, & ab eo abstinere fuerint coacti.

## §. XV.

Qvod ad usum Saponis externum attinet, utpote  
qvi, priusquam internus innotuit (§. II.) adeoque ma-

D

gis

gis freqvens exsttit, brevem saltem subministrabo de-  
scriptionem. Qvatenuis itidem poros cutis intrare po-  
tis est, & a vasis resorbentibus quasi imbibitur, eatenuis  
ex indole sua inservit discussiōi humorum viscidiorum  
in peripheria corporis stagnantium, si qvando debita  
ratione applicatur. Prostant hunc in finem in nostris  
officinis satis notum Emplastrum sic dictum Miraculo-  
sum, & Saponatum Barbette, cuius laudes in Dispensato-  
riis, & libris prácticis & chirurgicis abunde depre-  
hendendas repetere animus non est. Egregiam iti-  
dem opem præstat Sapo in Spiritu vini, ad consistenti-  
am Ungventi usqve solutus, in tumoribus frigidis. e.g.  
Parotidum, fungo articulorum, duritie hypochondria-  
ca, malo ischiadico &c. qvando leni pressione  
parti affectæ illinitur. Qvæ discussio a sapone exspe-  
ctanda nonnunquam admixtione camphoræ augeri po-  
terit. In infantibus, & nonnunquam in adultis alvum  
obstipatam ab illinitione ungventi saponati referari  
observatum. Qvod Enematibus additus, & in forma  
suppositorii applicatus Sapo alvum solvat, lippis & ton-  
foribus notum. Si qvando Sapo in aqua Majoranæ de-  
bita proportione solutus, ex vola manus naribus attra-  
hitur, gravedinem fortem brevi tollere, & effluxum  
mate-

materiæ pituitosæ cum levamine promovere solet. Nec minorem effectum exserit istiusmodi Liqvor aribus injectus, sub auditus difficultate & surditate, ab incuneato cerumine orta, qvatenus a resoluta, & attenuata picea ceruminis substantia, aures levi artificio abhinc liberantur. Prostat hos in usus in nonnullis officinis Megapoleos sic dictus *Liqvor catarrhalis externus*, ex Sapone Veneto in aqua nivis soluto constans, addita Terebinthina & Tinctura benzoës, cui tamen simpli- cem solutionem saponis in aqua Majoranæ prætulerim. Usum *cosmeticum* Saponis non morabor, tanquam satis notum, qvippe qvi non tantum ad abluendam cutis immundiciem, verum & a delicatulis ad nitorem cuti conciliandum, & maculas ejus delendas freqventer adhibetur; in qvem finem excogitatæ tot compositiones Saponis artificiosæ inter arcana subinde relatæ, v. g. *Tinctura vel Spiritus Saponis*, cuius paucæ guttulæ aquæ instillatæ & cum ea conqvassatæ spumas agunt communi saponi analogas. Confer. *Acta Vratislaviens. ann. 1724. Cloff. V. Artic. I. p. 652.*

## §. XVI.

Ordo jubet, ut nonnullorum Saponis præparato-

D 2 rum

rum mentionem injiciam, qvæ ab artis spagyricæ cultoribus in forum mediorum introducta deprehendimus. Huc referendus foret *Sapo* sic dictus *philosophicus*, ex Tinctura Antimonii cum oleo Juniperino saturata, & leni evaporatione ad mollem consistentiam inspissa-  
ta constans, qvem DIPPELIUS in *Disquisit de vita anima-  
lis morbo & medicina p. 94. & 95.* tanquam summum sedati-  
vum in doloribus podagrīcīs, & materiam tartaream  
resolvens, interne & externe in usum vocavit.

Ab hac specie non adeo abludit *Sapo Terebinthina-  
tus* ex Sale Tartari & oleo Terebinthinæ, debita enchei-  
refi, concinnatus, qvam omni dexteritate descriptsit  
NEUMANNUS in *Prælect. chem. p. m. 1012.* qui itidem  
monet, olea essentialia, imprimis aromatica adhuc ma-  
jorem desiderare industriam, donec ad consistentiam  
Saponaceam redigi possint. Verum enim vero, his at-  
qve confimilibus cum oleis æthereis præparatis specie-  
bus, sine detimento carere potest ars medica, qvando  
magis tuta deprehenduntur, augent siqvidem motum  
sangvinis intestinum & progressivum, hinc sub incen-  
dio febrili propinatae, pro modulo morbi, spasticos mo-  
tus, inflammations, & hæmorrhagias excitare valent.

In

In nonnullis officinis *oleum Saponis* cum arena, calce viva vel cineribus mixti ex retorta destillatum & iterum rectificatum deprehenditur, qvod tanquam lene septicum ad ulcerā mundificanda, tophos resolvendos, odontalgiam a carie dentium ortam, verrucas, aliasqve cutis excrementias tollendas commendari solet; verum qvia ab oleo sic dicto philosophorum parum vel nihil differt, ubivis reperibili, supervacua hac destillatione supersedere possumus.

§. XVII.

Mitto plura hujus commatis præparata, qvorum pertinet *Offa* sic dicta *Helmontiana*,, qvam nonnulli *Saponem chymicum* appellant, vid. *CARTHEUSERI Pharmacolog.* Sect. II. p. 121. *Sapo Tartareus* itidem *Corrector Starckey* dictus e. gr. in *Act. Eruditorum Ann. 1703.* Mens. April. p. 185. *descriptus. Elixirum Saponis in Act. Berolinens. Decad. III. Volum. I. k. 1. reperibile. Balsamus vitæ externus* vid. D. LOESEKE *Abhandlung der auserlesensten Arzneien - Mittel* p. 544. aliaqve plura, & brevibus *Saponis medicati* adhuc injicienda mentio, cujus accuratam at satis laboriosam præparationem exhibit *Pbarmacopœa Wirtembergica*, eidemqve, præeunte BOERHAVIO egregias vires antacidas, resolventes, & diure-

D 3

ticas

ticas attribuit, qvas tamen Saponem Venetum vel Hispanicum purum superare vix crediderim.

§. XVIII.

Clausulam medicamentorum saponaceorum imponant *Sapones improprie tales*, a nonnullis *corpora saponacea dicta*, de qvibus distincte egit *Wilb. Henric. BUCHOLTZ* in Disputatione de *Saponibus qvibusdam mineralibus*, sub Præsidio Cel. D. FASELII, Jenæ anno 1763. habit. & imprimis occupatus fuit circa methodum *Saponem Solis, Lunæ, Veneris & Martis* mediante hepate sulphuris præparandi, cui subjungit *Saponem sulphuris aurati antimonii & Saponem mercurialem*, & horum præparatorum, pro modulo admixti mineralis, virtutes egregias aperitivas, resolventes, anthelminticas, diureticas, hydragogas, emmenagogas &c. prædicat.

§. XIX.

Saponum improprie talium catalogum augent ex regno animali, saliva, liqvor gastricus, succus pancreaticus, & bilis hepatica, qvorum beneficio partes alimentorum pingves cum aqveis commixtæ in liqvorem albi-

albicanem, chyli nomine venientem commutantur, imprimis eminet vitellus ovorum, atque bilis cystica, tanquam omnibus nota evporista, natura diversos hos liqvores in homogeneam massam convertentia, quæ & ratio, cur vitellus ovorum in vehiculo aqveo discontinuatus, ictericis quotidianis semel vel bis exhibitus, morbum hunc, instar saponis supra laudati, brevi tollere queat. Ex regno vegetabili commemorandi flores Chamomillæ vulgaris, Meliloti & Sambuci, præsertim Saponaria, ejusque radix, utpote quæ ex indole cum Sapone coincidente hoc nomen obtinuit, & pro scopo abstergente, incidente, & resolvente Sarsaparillæ radici jure præferenda. Ex regno minerali præter supra memoratos sapones metallicos, terræ pingves alcalinæ, saponariæ a nonnullis dictæ, fontes nonnulli foterii &c. in medium proferri possent. Sed est, ut hisce filum abrumpam & Dissertationi faciam

F I N E M.





## Corollaria.

1.

Aurea est Regula HOFFMANNI: Fuge Medicos & Medicamenta.

2.

Diæta præstat Pharmaciæ.

3.

Male quidem, sed inique audit PARACELSUS, qui se varia a plebe didicisse confessus est.

4.

Vitia Medicorum raro terra tegit.

5.

Medicastri, æque minus ac Zizania e segete, funditus e Republica sunt delendi.

6.

Medicamenta in venena, & venena in medicamenta mutari possunt.

7.

Plurimi hominum morte violenta pereunt.

8.

Causam mortis naturalis physicam detegere velle, difficile satis est.

9.

Objectum Medici clinici est totus homo, & quoad corpus, & quoad animam.

10.

Haud pauci literati curatu sunt difficiliores non literatis;











antem, chyli nomine venientem commutantur, imis eminet vitellus ovorum, atqve bilis cystica, nam omnibus nota evporista, natura diversos hos res in homogeneous massam convertentia, qvæ &

is ovorum in vehiculo aqveo discontiqvotidie semel vel bis exhibitus, morr saponis supra laudati, brevi tollere no vegetabili commemorandi flores garis, Meliloti & Sambuci, præsertim ve radix, utpote qvæ ex indole cum nte hoc nomen obtinuit, & pro scopo idente, & resolvente Sarsaparillæ radi da. Ex regno minerali præter supra nes metallicos, terræ pingves alcalinæ, nullis diætæ, fontes nonnulli foterii &c. ferri possent. Sed est, ut hisce filum issertationi faciam

F I N E M.

